

/ R^{de} D^{ne}, ac veluti frater,

Venit ad me iuvenis Germanus, professione medicus, qui nomine tuo me salutavit, et insigne horologium abs te mihi detulit. Miratus sum tamdiu conservatam benevolentiam erga magistrum, et amicitiam nostram absque literis praeclaro munusculo nunc renovatam. Sed quaeso te, ut literis tuis mihi plenius innotescas, ut sciam cui gratias agere debeam, non tam pro munere, quam pro animo tam grato et ingenuo, qualem in te videre mihi videor. Expecto igitur literas tuas, quibus cognoscam omnia singillatim quae ad te pertinent, quando et quamdiu fueris Romae, quo postea discesseris, quid egeris, quid agas; quae necessitudo inter nos intercesserit, et aliud id genus, quae amici de amicis scire cupiunt; postremo an aliquid sit, in quo tibi gratificari hic Romae possim. Cum ad me scripseris, ego quoque plenioram epistolam dabo. Interim gratias ago pro memoria, et pro munere. Vale, et me, ut tu facis, amare perge. Datum Romae die 6 decembris 1608.

Uti frater tibi addictissimus.

Christianus Agricola, Decanus ad S^{tum} Petrum, etc.

Arch.Vat. Gesuit.18 fol.121. Brouillon autogr. ; 22 epist.LXXVI.

*Rome 12 decembre 1608 Bellarmin au Recteur de Coll. Rom
cf p 812!*